



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 167. Actum cum Imperatore de bello Turcico

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](#)

& Adrianus VI. continuari jussérunt, tan- **Sæcul. XV.**  
 demque Clemens VII illum anno mil- **A.C. 1455.**  
 lesimo quingentesimo vigesimo quar-  
 to, edito Decreto, Beatis adnumera-  
 vit, atque in cunctis Venetæ Reipu-  
 blicæ Ecclesiis festivo ritu ac publico  
 officio ejus memoriam colendam instituit;  
 opportuniōri autem tempore eundem  
 Sanctorum quoque albo adscribere cagi-  
 tavit. Verum res usque ad annum mil-  
 lesimum sexcentesimum nonagesimum  
 protracta est, quo Papa Alexander VIII.  
 eundem in Sanctorum numerum repo-  
 suit. Festa illius dies quinta Septembris  
 in Breviario Romano sub ritu festi *semi-*  
*duplicis* celebratur. Conscriptis plures  
 asceticos libellos, ex quibus uberiōres so-  
 lidæ virtutis fructus, quam scientiæ ac-  
 quisitæ specimina colligere fas est, cum  
 longe majores progressus in Spiritus San-  
 ti schola, quam in literatorum Athenæis  
 fecisse. Ejus vitam a Bernardo Justi-  
 niano illius Nepote conscriptam Surius  
 refert.

### §. CLXVII.

*Actum cum Imperatore de bello  
 Turcico.*

Bello adversus Turcas in Francofordien-  
 sis comitiis jam jām decreto, nil **Æn. Sylv.**  
**comm. Pii II**  
 aliud superesse videbatur, quam ut op-  
*t. I.*

E e 5 portunis

**Sæcul. XV.** portunis mediis Principes ad unionem  
A. C. 1455. incitarentur, quilibet necessaria suppeditaret, ac demum validus conscriberetur exercitus. Venerant quoque in Austria ad Imperatorem aliquot ex Electoribus,

aliisque Germaniæ Principibus, necnon ceterorum Legati, & ex Hungaria Episcopi, ac Barones præcipui. Aderat etiam ex Italia Joannes Episcopus Papiensis, Sedis Apostolicæ Legatus, unacum Michaele Pitio Alfonsi Siciliæ, & Arragoniæ Regis Oratore. Nec defuit Joannes Capistranus, qui assiduis prædicationibus populum adversus Turcas ad arma, ac eleemosynas pro futuri belli sumptibus erogandas excitabat. Cum vero omnia propemodum conclusa essent, necnon optata spes arrideret, æstate proxima ingentes copias in Christiani nominis hostes eductum iri, infaustus mortis Nicolai Papæ nuntius telam jam longo tempore cæptam uno momento incidit.

### §. CLXVIII.

#### *Nicolai Papæ obitus.*

**M**ortuus est Nicolaus Papa die vigesima quarta Martii Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, postquam S. Petri Cathedram octo annos, & novemdecim dies tenuisset. Hic post pauco-